



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De repræsentatione Sacratissimæ humanitatis Salvatoris nostri Jesu
Christi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

De repræsentatione sacratissimæ Humanitatis Salvatoris nostri Jesu Christi.

*Exercitiū
III.*

*Praxis
pro Incipientibus.*

*Praxis
pro Proficientibus.*

Non desunt qui hoc practicent genus præsentia Dei, magnam in eo reperientes facilitatem, fructumque; non modicum reportantes: diversi tamen in eo gradus reperiuntur. Juniores Novitii vagabundam suam imaginationem cohibere poterunt sensibili atque imaginariâ Salvatoris nostri repræsentatione, in omnibus rebus ita se gerentes, ac si ab ipso sive in terris vivente, sive in cælis regnante coram viderentur. Eo fine ad ipsum omnes operum suorum directiones, omnes aspirationes, atque omnia interiora colloquia dirigent. Hoc perquam facillimum multumque tyronibus proficuum erit.

At Proveciores illic sistere non debent, sed formare pulchram, affectivam, ac Majestatis plenam Humanitatis Jesu Christi sacratissimam ideam, in illius continuo ambulare conspiciunt, conatique, ut ipsi in illum transformentur per fidelem imitationem, suavi, cordiali ac sincera erga eandem humanitatem affectui sociatam.

Hoc proinde exercitium diversis modis praticari potest. Incipientibus sufficit sola repræsentatio imaginaria, quæ ipsos in timore continent ac reverentia. Proficientes verò ulterius proveci illi sociant suavissimum, maximaque reverentia plenum affectum, quo conituntur indu-

indue
mus h
fait ;
tione
liq; in
quide
Pe
hoc ex
tota v
confo
nibus
deri ti
Apos
vii v
N
hilce
quan
facili
ut se
tend
pro i
nimu
anim
preh
Chr
fuiss
sum
stur
hore
tran
eval
nat
tral
que
indu

induere spiritum divinum, in quo amantissimus hic Dominus noster in terris conversatus fuit; suavi quadam atque affectivâ consideratione sensus atque affectus illius penetrando, illiq; in omnibus agendi modis ipsius, quantum quidem possibile ipsis fuerit, se conformando.

*Induimus
Dominum
Iesum
Christum.
Rom. 13.*

14.

Perfecti denique sunt, qui ob frequentatum hoc exercitium adeò perfectam acquisierunt in tota vita sua cum Salvatoris nostri humanitate conformitatem, ut, illos ubi videris in actionibus suis, totaliter in ipsum transformati videri tibi queant. Veluti in semetipso sentiebat Apostolus, qui ait: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.*

Pro Perfectis.

Gal. 2. 20.

Novitii mox à sua receptione primum ex hisce tribus gradibus usurpare poterunt, si aliquam in ipso persentiscant oblectationem ac facilitatem; sin verò, nullâ utentur violentiâ, ut se in ipsum impellant. Proveciores contendunt ad secundi gradus praxin se extendere; pro illis enim præcipuè hoc exercitium exponimus; quod ubi ipsi amoris pleno, ac fideli animo àmplexati fuerint, modico tempore deprehendent, sese spiritu, vitâ, ac sensibus Jesu Christi indutos, ac tandem perfectè in ipsum fuisse transformatos. Et verò, quid est in Jesum per sapidiorem illius sanctissimæ vitæ gustum, perque perfectam illius agendi atq; cum hominibus conversandi modi imitationem transformari, nisi jam perfectum atq; omninò evasisse divinum? Nostram etenim Dei Filius naturam induit, ut nos per sensibilia ad se attraheret, quia nos toti sumus sensibiles, nosque in suam transformaret divinitatem,

Aa 3

ubi

ubi nos suæ sanctæ conformaret humanitati. Quis verò non videat vitam nostram futuram esse perfectissimam, si Salvatoris nostri vita perfectè foret conformis? Hoc sanè sufficere deberet Fratribus nostris ad eximiam hanc praxin amplexandam invitandis: non abs retamen erit, porrò aliqua hic subjungere.

De Necessitate atq; Utilitate huius exercitii.

Necessitas.

EXercitium istud usque adeò necessarium est, ut rarò Religiosum reperire queas, qui in via perfectionis absque illo proficiat: imple enim Salvator ait: *Ego sum ostium. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Quæ causa est, cur vitæ spiritualis Patres post S. Dionysium nunquam committere nos debere dicant, ut repræsentatione sacratissimæ humanitatis Salvatoris nostri Jesu Christi expoliamur: et omnibus aliis speciebus atque imaginibus in statu contemplationis nudari nos oporteat. Illa enim nocere minimè potest, quin potius illa colligit, tranquillat, ac modo prorsùs admirabili elevat animum, cùm ipsa materialis non sit, ut ceteræ. quia facta est valdè tenuis, pura, ac spiritualis propter amorem; qui ipsam sustinet, quo deficiente ipsa remaneret valdè crassa, purèque imaginaria, veluti reverà est in animis Incipientium, qui, quod cor Deo satis appropriatum, aut animum satis purificatum necdum habeant, repræsentationem Salvatoris nostri talem sibi efformare non possunt, qualem oportet, ut hocce exercitium dignè practicerent. Ubi attamen suo quivis id modo proque posse

suo